



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. XII. De potestate Capituli quoad indicendam cessationem â divinis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Ecclesiis, & beneficiis, ita tamen, ut non nimium graventur Clerici beneficiati, &c. in plebique tamen his non tam attendendum, quid jura statuunt, sed quid consuetudo, quæ varia sæpius in variis diocesis vigeat, exigat.

## §. X.

*Quibus casibus Episcopus loci jurisdictionem habeat in regulares exemptos?*

**H**abent quidem Prælati regulares præsertim exempti, in suos subditos regulares quasi Episcopalem potestatem, ita ut possint omnia circa eos exercere, quæ Episcopi possunt circa suos subditos, plurimi tamen casus enumerantur à Chochier *imp. 1. de jurisdictione ord. in exemptos quest. 17. Rodriguez in summa quest. Regul. To. 2. quest. 64. n. 11. Barbosa de officio alleg. 105. Pyring. hic. &c.* in quibus etiam contra regulares exemptos procedere possunt Episcopi saltem tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, qui apud citatos videri possunt.

## §. XI.

*De loco jurisdictionis Episcopi.*

**I**n quovis loco suæ diocesis ordinariam suam Ecclesiasticam jurisdictionem exercere posse Episcopum, sive contentiosa sit, sive voluntaria, constat ex *c. cum Episcopus 7. h. t. in 6.* nisi locus talis intra diocesis quidem situs sit, ab Episcopi tamen jurisdictione exemptus sit, ubi jurisdictionem saltem contentiosam exercere non potest, nisi in casibus quibusdam raris, petitâ saltem Prælati regularis licentiâ.

## §. XII.

*De potestate Capituli quoad intendendam cessationem à divinis.*

**C**oncessum hoc nonnunquam esse Capitulo ex *c. 2. & 8. h. t. in 6.* patet: videntur relata capitula circa hanc materiam rari usus.

## SECTIO. IV.

*De Officio, & Jurisdictione ordinaria Prælatorum, regularium, Episcopo inferiorum.*

## §. I.

*De jurisdictione, & potestate Abbatum, & aliorum Prælatorum regularium in genere.*

**P**rælati regulares non tantam potestatem quasi dominativam, & domesticam, sive œconomiam habent, radicatam in voluntate profitentium talem regulam, & se tradentium religioni cum promissione & obligatione secundum illam obediendi, & juxta imperium Prælati suos labores conferendi, prout ad religiosam disciplinam conveniens judicaverit Prælati, sed habent etiam potestatem jurisdictionis, spirituales scilicet, & Ecclesiasticam potestatem ligandi, & solvendi, censuras inferendi, puniendi &c. & quidem ordinariam, quam delegare possunt, & quasi Episcopalem, ita ut plurima circa suos subditos regulares possint, quæ possunt Episcopi circa suos subditos.

Z 3

§. II.